









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

15  
SPASMIS  
PHARYNGIS

QUAM

CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ SENIORE ET FACULT. MED.

h. t. DECANO.

PRO DOCTORIS GRADU

PUBLICÆ ERUDITORVM DISQUISITIONI

SVBMITTIT

D. *Augusti Anni MDCCXXXIII.*

AUCTOR

ANDREAS GOTTLIEB MARGGRAFF,

BEROLINENSIS.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.









DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA  
DE  
SPASMIS PHARYNGIS.  
*PROOEMIUM.*



Medicinæ princeps Hippocrates in libro, quem de vetere inscripsit medicina, proditum nobis reliquit: medicos, si in externorum morborum cognitione fallantur, nullam prorsus excusationem mereri; si vero in iis, qui corporis penitiora occupant, & oculos effugiunt, dignoscendis decipi eos contingat, aliqua excusatione dignos esse; quod arduum omnino sit, quæ intus in corpore latent inspicere. Non omnino a veritate alienum videtur hoc assertum. Quamvis enim



enim nostro ævo multorum morborum, olim vel plane incognitorum, vel obscuris causis implicatorum vera indoles ac ratio clarius detecta sit ac in lucem protracta: attamen haud pauci restant, in quibus aut ignorantiam nostram profiteri debemus, aut in iis dignoscendis decepti aliquam meremur excusationem. Quot enim adhuc sunt ægritudines, quarum apud scriptores medicos aut nulla aut satis obscura fit mentio? Quis unquam vesicæ spasmos tanta perspicuitate explicaverat, quam *Excell. PRÆSES in diss. de vesicæ spasms?* Inter hæc vero humani generis calamitates, quæ veritatem dicti Hippocratici adhuc dum corroborant, principem fere locum obtinent, quæ cibalem fistulam latinis gulam, græcis *ὀρθήριον* appellatam diris atque anxiis infestant symptomatibus. Harum certe apud plerosque auctores tantum est silentium, aut saltem tam exigua explicatio, ut eas fere inter rarissimos morbos referres, quæ tamen inter frequentissimos omni jure collocandæ sunt. Quum enim canalus iste nerveus, membranosus, atque musculosus vi suæ fabricæ omnibus istis affectibus, qui partes nerveas atque musculosas neque minus glandulosas occupare solent, sit obnoxius, horum quoque omnium insignes ac notabiles attenda experientia suppeditabit observationes.



nes. In iis vero illustrandis summa gratia debetur summae *Excell* PRÆSIDIS industriæ, qui in *disp. de morbis œsophagi* primus omnium hoc in distinctum redegit ordinem. Magnus enim eorum est numerus, ac immanissima symptomata; quibus recensendis eo magis hic supersedere licebit, quo clarius atque distinctius ab omni laude majori Viro in dicta dissertatione sunt explicata. Quin licet earum tantummodo adflictionum, quæ ex spasmodicis œsophago inhaerere observantur, uberiores tractationem exhibere vellemus; dissertationis transgredieremur limites. Quam obrem bono cum Deo constituimus pharyngis solummodo ac superioris gulæ distentiones inaugurali hac dissertatione perstringere: Quos conatus, ut divina clementia prosperos reddat atque salutare, humillime precamur.

## §. I.

**S**pasmos pharyngis explicaturi in medicorum quidem scriptis rariores, ipsa vero experientia admodum frequentes; quædam de spasmodicis œsophagi in genere præmonenda duximus. Per hos vero intelligimus invitam, præternaturalem atque violentam vel ipsius gulæ canalibus, vel illius principii, pharynx dicti, vel denique utriusque, hinc totius œsophagi constrictionem aut rigidam distentionem. Hinc ergo sponte fluit, rem curatius pen-



fitando, tres potissimum spasmodorum gulæ esse differentias: namque vel inferior gulæ pars, pharynge libero, cum adhærente ipsius orificio ventriculi superiore, sola convellitur; vel ea immuni, pharynx cum suis musculis aut solus, aut cum adnexis ipsi partibus larynge, radice linguæ, osse hyoide &c. constringitur: vel denique omnis gula cum partibus ipsi arctissimo vinculo junctis in gravem distentionem rapitur. Prior spasmus dici potest gulæ proprius, alter pharyngis, & tertius gulæ universalis. Vt vero haud inanem ac minus fructuosam hanc divisionem esse ostendamus, nec entia præter necessitatem multiplicasse videamur: singulorum notatu dignissimum in medium proferemus exemplum.

§. II.

Spasmi gulæ universalis observatio exhibitur in *Excell. PRÆS. Med. consult. Tom. VIII. Dec. IV. Casu V.* & brevissime sic se habet: Verbi quidam divini minister ab obitu uxoris tristissimus semper, olim hypochondriacis spasmodicisque motibus, caput in consensum trahentibus obnoxius, tanta subito pectoris, gulæ, laryngisque constrictione prehendebatur, ut nec vocem edere, nec spiritum trahere, nec deglutire quicquam valeret, insuperque velut attonitus prosterneretur. Ab hac vero accessione media nocte invadente per sponte sequutos copiosissimos sudores prorsus liberatus; eandem tamen sequenti mane post largiter assumptum calidissimum porum Theebois iterum incidit; & quanquam variorum externorum usu adminiculorum ad rationis integritatem mox iterum rediret; retinuit tamen & loquendi impotentiam, & deglutiendi spirandique summam difficultatem. Adplicatis venæsectione, frictionibus, spiritibus nervinis, theriaca sub linguam posita, masti-



maſtificantibus, interneque anodynis, tenaciſſimus ac copioſiſſimus mucus non ore ſolum reddebatur, verum etiam quidem non vomitu, ſed anxio tantummodo vomendi conatu (mit einem erſchrecklichen Würgen) eructabatur. Laxatis hinc per ſeptem horas conſtrictæ linguæ vinculis ſermonis quædam rediit facultas; ipſaque pharyngis rigida detentio aliquantulum ſoluta fuit, ut liberius deglutire valeret: ipſa tamen gulæ inferioris ac peſtoris anguſtia adhuc urgebat, qua deglutita in ipſo œſophago ſtagnare nec ad ventriculi cavum pertinere videbantur. Nec vero ullæ medicinæ, nec antiſpaſmodici pulveres, nec anodynus liquor, nec pediluvia nec ſperma ceti in oleo amygdalarum dulcium ſolutum nec alia quicquam opis adferri valebant. At enim vero cum camphoræ duo ſcrupuli in oleo olivarum ſoluti ex errore uno hauſtu aſſumerentur: ſonica quidem inſequebantur ſymptomata; æger vero ab omni conſtrictione liber, & dein a toto morbo liberatus fuit.

## §. III.

Hoc in caſu conſtricta fuiſſe, pharyngis, linguæ, laryngis, oſſis hyoidis muſculos, gulam ac ipſum ventriculi ſuperius os, jam proluxa demonſtratione oſtendere velle, & chartæ anguſtia prohibet, & ſupervacaneum eſt; cum id cuique ſponte facile adpareat. Hinc jam hiftoriam allegabimus, qua pharynx conſtrictus, reliqua vero gula libera fuit; quæ pariter in *Excell. PRÆS. Med. Conſult. Tom. I. Dec. V. Caſu IV. continetur*: Vir quidam admodum bilioſæ conſtitutionis ex nimia iracundia ac perperam inſuper datis medicinis poſt prævias quaſdam adſtiſiones in gravem demum incidit pharyngis conſtrictionem hiſce potis-



tissimum notis manifestam : Per intervalla ægro accessit molesta in faucibus instar pali infixi sensatio , qua simul percipiebat , ac si aliquid ex ore sit ejiciendum & quasi prosperere velit , ut etiam medicus cum ægrótante putaverit , vermem ibi residere & exitum affectare. Sub accessione partes extremæ valde frigescere incipiebant sub calidissima etiam æstate , a frigore admisso semper malum ingravescere videbatur : & quandoque tremor extimas partes concutiebat : alvus erat sicca & obstructa , abdomen flatibus distentum , appetitus & somnus valde exiguus , pulsus durus , urina limpida , insignis ad iram propensio , horumque omnium ab assumpto quodam purgante summa exacerbatio. His per aliquot septimanas sollicitatus æger symptomatibus , tandem antispasmodicis medicinis reddebatur sanitati.

## §. IV.

Liberam hic fuisse gulam vel exinde patet , quod deglutita sine ulteriori molestia ac impedimento in ventriculum penetraverint : pharyngis vero detentionem & deglutiendi difficultas & pali faucibus infixi sensatio demonstrant. Sed restat , ut adhuc gulam inferiorem , humani pharyngis , convelli casu comprobemus ; quem pariter ex *illustris PRÆSIDIS Med. Consult. Tom. III. Dec. III. Cas. VII.* mutuatum sic recensemus : Vir annorum LXV. ex hæmorrhoidum suppressione , aut saltem irregulari fluore variis hypochondriacis molestiis per aliquot annos sollicitatus , ventriculi post assumptionem parcissimi etiam cibi inflationem , flatulentiam , alvi obstructionem , quandoque profluvium , adpetentiam fere caninam , dorisque cruciatus toleravit. His demum omnibus ea supervenit afflictio , ut libera quidem cibos potusque devoraverit deglutitione ; cum autem



tem ventriculum ingredi vellent, in œsophago quasi vinculis constricto hæreere nec ulterius progredi posse viderentur: ea tamen differentia, ut calidi potus libero gauderent transitu, frigidi autem malum exasperarent, & fere regurgitarent; quibus denique sæpenu-mero mucii vomibunda accessit rejectio.

## §. V.

Ex his igitur adparere confido, divisionis nostræ non cerebrinam, sed ipsa experientia confirmatum esse fundamentum: jam opus erit, ut singulorum rationem mechanicam, indolem, signa, symptomata, causas, prognosin ac medelam prosequamur; ex quibus demum essentialis horum spasmodorum differentia elucescet. Nos vero pharyngis duntaxat convulsionem perscrutabimur, melius rati, unius morbi genuinam indolem uberius explicare, quam variorum simultanea tractatione ea confundere, quæ actu sunt distinguenda. Namque inferioris gulæ spasmi adeo sunt comparati, ut illis peculiaris labor deberi videatur: non enim solum ea ratione, quam proxima exhibet periodus, sese exferunt; verum innumera adfligunt varietate & quam plurima involvunt symptomata singulari animadversione digna. Pharyngis itaque spasmodis inhærentes, hujus præcipue fabricam ac structuram præmittemus; quo dein facilius adpareat, qua ratione ipsi vitia insidere queant.

## §. VI.

Ab ultimis faucibus incipiens canalis, quem gulam appellant, latius ac amplius in suo principio fortitur cavum, quod græcis pharynx, latinis infundibilum audit, & antrorsum linguæ radici, ossi hyoidi, laryngique, retrorsum colli vertebra arētissime connectitur, ut

B

una



una parte mota altera sæpissime simul moveatur. Quem admodum vero œsophagi ea in genere est functio, ut mansa, saliva permixta ac in ore præparata deglutiatur, ac in ipsam demum ventriculi cavitatem dimittat: ita præcipue illius principio seu pharyngi deglutiendi provinciam natura imposuit. Hic etenim deglutitionis actus unice dependet a fabrica pharyngis; qui eundem in finem variis musculis & dilatatoribus & constringentibus construitur ac movetur. Constringentium unum revera par existit, quod tribus originibus ab osse hyoide, cartilagine cricoide, & thyroide exortum, hinc præter necessitatem a VALSALVA *tr. de aure humana Tab. V. §VI.* aliisque tribus nominibus hyo - thyro - crico pharyngæorum insignitum, os superius œsophagi seu pharyngem circum circa amplectitur, illud constringendi vi pollet, & œsophagæi communiter seu sphincteris gulæ nomine venit. Dilatatorum vero tria potissimum sunt paria; quorum primum cephalo-pharyngæum ab infima occipitis parte & primæ colli vertebra ortum recta via in tunicas pharyngis expanditur: alterum sphæno-pharyngæum, sub quo complectimur pterygo-pharyngæum, ab osse sphænoideo, ejusque alaribus maxime processibus in latera pharyngis abit; & tertium stylo-pharyngæum ab apophysi ossium temporalium styloformi lateribus pharyngis inseritur. Hæc tria musculorum paria non solum posteriorem infundibuli regionem elevant, sed quoque illud sphinctere occlusum dilatant.

#### §. VII.

Musculorum horum beneficio pharynx deglutitionis actum, tanquam functionem sibi propriam peragit:



git: cujus hæc est mechanica. Dum dorsum linguæ ope musculorum mylo - glossorum , stylo - glossorum, stylo - hyoidæorumque ad palatum adplicatur; radix linguæ, os hyoides ac larynx musculis huic actioni infervientibus antrorsum premuntur; pharynx vero posterius a constrictis cephalo-pharyngæis elevatur, anterius a stylo - & sphæno - pharyngæis dilatatur. Hic harum partium actionibus ante membranas colli vertebrae & pharyngem cingentes, sub velo palatino, uvula, tonsillisque & supra laryngem atque pharyngem amplius redditur spatium, majusque cavum: tum vero deglutenda dorso linguæ imposita inter eam & palati fornicem premuntur, & sic pressa supra laryngis rimam operculo cartilaginis seu epiglottide clausam veluti per subiectum pontem in cavum illud faucium propelluntur. Tunc actio antagonistarum excipit: namque hæctenus elevata, antrorsumque compressa lingua, larynx, os ypsiloides pristina restituntur figuræ; laryngis maxime cartilaginee explicatæ ad pharyngem premunt, hacque actione deglutienda in cavo hærentia ulterius pellunt; quæ laxatis simul pharyngis dilatatoribus constrictoque œsophagæo magis protruduntur, & sic constricto iterum pharynge sub hoc in cavo gulæ hærent. Tunc absoluta est deglutitio; cujus nomen deglutitorum ulterior per cavum œsophagi rore glandularum lubricum vi musculosa ipsius fabricæ propulsio in ipsum ventriculum nullo meretur jure; licet vulgo hoc quoque sensu adhibeatur.

## §. VIII.

His præmissis spasmodicum pharyngis describimus, quod sit invita, præternaturalis, violenta musculorum



pharyngem constituentium constrictio, deglutitionis majus minusve impedimentum inferens. Læsa etenim parte læditur illius functio; quam obrem operæ jam erit pretium ante omnia explicare, qua ratione deglutitio per spasum pharyngis reddi queat difficilis; quod eo magis erit necessarium, cum ab aliis quoque infundibuli vitiis, ut atonia, inflammatione ac obturatione per res peregrinas tumoresve deglutiendi summum introduci observetur impedimentum. Quare haud ignorari oportet, ad omnium machinæ humanæ musculorum hinc & pharyngæorum actionem rite absolvendam requiri justam ac naturalem eorum tensionem, quam medici vocant tonum, aut motum tonicum. Hunc si præternaturalem fortiuntur partes musculosæ, aut auctum, qui spasmi nomine venit, aut imminutum, quem atoniam dicunt, aut plane abolitum, quem paralyfin vocant: aut imminuitur, aut impeditur, aut plane aboletur earum partium actio atque functio. Idem fere accidit musculis infundibuli, qui & resoluti & distenti deglutiendi secum ferunt difficultatem. Quæ vero hujus rei ratio? supponimus ex musculorum cognitione, horum plerosque habere antagonistas; qui, congeneribus agentibus relaxati, his laxatis constricti sunt. Eadem in præternaturali distentione fieri ratio suadet: ubi si congeneres spasmo trahantur, antagonistas leviori atonia adfici necesse est, & vicissim. At enim vero in pharynge dilatatores sunt congeneres, qui simul quosdam linguæ, ossis hyoidis, laryngisque musculos habent socios; antagonista vero œsophagæum, & quosdam dictarum partium fortiuntur. His ergo constrictis, illi relaxantur: illis convulsis, hi aliquantulum resoluti sunt.



sunt. Jam vero utraque ratione spasmus pharyngis contingere posse, non solum ratio ostendit, verum etiam mox recensenda symptomata non semper eadem, sed valde variantia comprobant,

## §. IX.

Explicanda itaque jam sunt spasmodum pharyngis signa atque symptomata, priusquam ipsorum ab a-tonia aliisque malis ostendamus differentiam. Ea vero sunt vel aliis quoque superiorum partium distentionibus communia, vel hisce propria. Inter communia sunt extremorum, maxime pedum, refrigerationes; externorum artuum tremores ac rigores; alvinæ excretionis obstructiones ac constipationes; flatuum ad superiora regurgitationes; imi ventris stricturæ, dolores, murmura; præcordiorum angustia, vomendi conatus, cardialgia, urinæ tenues, aquosæ, pallidæ; pulsus duri, magni; & denique ipsius affecti loci sæpius & vicinorum aut rigores, aut dolores aut immobilitas. Quum enim superiorum partium constrictiones non nisi humorum per distentiones inferiorum partium ad superiora compulsionibus natales suos debeant: facile adparet, unde recensita symptomata, quæ spasmodum omnino sunt progenies originem trahant; quibus explicandis jam non est idonea occasio. Hinc potius ad signa spasmodum pharyngis propria accedimus; inter quæ potissima sunt 1) deglutitio difficilis, dolore stipata, aut plane nulla cum solidorum tum liquidorum, 2) partium pharyngi coherentium, linguæ, laryngis, colli rigida constructio, impeditus motus, dolor, 3) suffocativa molestia, 4) sensatio pali faucibus infixi, ac si quicquam inde vellet proserpere, 5) quæ demum omnia sæpenu-



mero per intervalla adfligunt, ac 6) haud raro in universi generis nervosi convulsionibus terminantur.

## §. X.

His præmissis facilius tradetur iudicium de deglutitione difficili; quæ occurrit in pharyngis inflammatione, atonia, obturatione a re quadam ipsi inhærente, & denique spasimis. Namque ubi atonia subest, ea difficilis deglutitionis est indoles, ut solida liberius deglutiantur, quam fluida atque liquida: eaque difficultas perpetuo sine ulla remissione inhæreat. Observavit illud non solum FORESTVS, si L. XV. obs. XXX. schol. pag. 150. dicit: in resolutione quidem devorari possunt, quæ sunt consistentia, spissa; liquida nequaquam: verum etiam confirmat casus ab Excell. D. D. PRÆS. in Med. Consult. Tom. X. dec. I. casu VI. allegatus, ubi pag. 36. exstant verba: **Es ist zu verwundern, daß eher etwas grosses, als kleines nur schlüpferiges hinunter geht.** Hinc pharyngis atoniæ si accesserit laryngis quoque imbecillitas; solida quidem liberius devorari observantur, cum epiglottidem comprimant: liquida vero dum magis in apertam penetrant laryngem, sæpenumero cum suffocationis metu per os atque nares regurgitant. Contra vero in ea deglutitionis difficultate quæ spasmo pharyngis debetur, præter alia signa ab imbecillitate aliena, & solida & fluida eodem devorantur impedimento; ipsaque sæpius haud continenter urget. Quod si autem perfecta præsto sit paralyfis, qualem casum TVLPIVS refert. Lib. I. cap. 44. omnis deglutiendi potentia penitus aboletur, ut ægri fame perire debeant. Partium vicinarum simul magna est mollities atque flacciditas; faciei pallor, aliaque signa, quæ ex capite de paralyfi repeten-



petenda sunt. At vero licet & sub spasmo omnis deglutitio tollatur: attamen brevi iterum aut felici aut mortifero eventu discutitur atque mitigatur, & per periodos insultat. Deprehenditur insuper vasorum faciei intumescencia, illius rubor, ac partium distentarum rigores, qui paralyfi nunquam sunt familiares. Hic sane iudicio opus erit Medico, ut ex reliquorum caterva signorum conjiciat, quodnam horum ex aduerso sibi contrariorum vitiorum in culpa sit.

## §. XI.

Facilior est diagnosi difficilis deglutitionis, quæ a faucium inflammatione, quam anginam vocant, proficiscitur. Tum enim faucium atque linguæ intumescencia, atque rubor ore aperto sæpius conspiciuntur; ardor faucium molestat peracutus; dolor urget eximius, ac plerumque gravissima jungitur febris. Sæpius ulceræ pharyngis deglutitionem impediunt; quæ si inflammationem harum partium exceperint, facillime cognoscuntur, nec prolixiori explicatione indigent: nec minus venerea variis sese prodent notis. Denique imponere valet medicis tumor, excresecencia, aut frustum aliquod pharyngi inhærens, aut laryngis vitium præternaturale, ut prognatam ex hisce malis deglutitionis difficultatem spasmo attribuant *Conf. FORESTVS L. XV. obs. 28.* Tali vero casu candela cerea faucibus intrusa haud raro rem manifestabit; ut taceam in spasmodorum præsentia ad reliqua simul respiciendum esse signa; ex quibus collectim sumtis facile iudicare poterit artis peritus, quod morbi genus deglutitioni obicem ponat.

## §. XII.

Sed revertamur ad spasmodorum nostrorum sympto-  
mata,



mata, quæ inter sensatio illa palii faucibus infixi aliquam  
 meretur considerationem. Dictum fuit §. 8. non minus  
 dilatatoribus pharyngis musculis, quam constrictori-  
 bus inhærere posse præternaturalem constrictionem :  
 jam vero in eo casu, ubi hoc urget symptoma, spaf-  
 mum maxime dilatatorum peccare persuasi sumus.  
 Namque dum hi musculi posteriorem potissimum re-  
 gionem infundibuli occupantes, ( quæ etiam ipse locus  
 hujus sensationis existit ) præternaturaliter convellun-  
 tur : antrorsum magis trahuntur in conglobatam figu-  
 ram, quæ, cum spasmus pertinaci rigiditate inhæret, diu  
 sensum illum excitat palii infixi. Hac itaque ratione li-  
 cet dilatatus atque apertus sit œsophagus; nihilotamen  
 fecius difficilem exhibet deglutitionem; cum dilato-  
 ribus rigidis, sphinctere laxato difficilius constringa-  
 tur; quæ tamen constrictione ad deglutendum necessa-  
 ria est: *vid.* §. 7. Inde vero deducimur ad consideratio-  
 nem differentię ipsius spasmi pharyngis; qua ille haud  
 sine ratione in idio-pathicum dividi potest, & sympto-  
 maticum. Illum appellamus constrictionem musculo-  
 rum dilatatorum pharyngis; hunc convulsionem œso-  
 phagei: illum rariorem credimus & adeo comparatum,  
 ut in solis hisce musculis, reliquis vicinarum partium  
 liberis tyrannidem exercere queat: hunc frequentissi-  
 mum putamus, qui ex adjacentibus partibus spasmo  
 primario adfectis ad œsophagum per consensum pro-  
 pagatur aut ex hoc ad illas. Verissima sane distin-  
 ctio, cui & ratio suffragatur, & experientia calculum ad-  
 dit. Namque si situm atque fabricam harum partium  
 intuemur, facile deprehendemus, soli œsophago abs-  
 que laryngis aut linguæ vitio nullum contingere posse spaf-  
 spaf-



spasium. Ille enim solus a trium dilatatorum vi facilius superabitur, ut se constringere nequeat; verum vi musculorum laryngis aut hyoidis ossis quorundam adjunctus dilatatorum potentiam omnino superabit. Insuper sphincter ille a larynge & osse hyoide originem suam mutuatur, ut adeo fere impossibile videatur, convulsis hisce partibus sphincterem manere liberum. Contra vero dilatatores haud adeo arctis illis partibus ununtur vinculis; hinc & solos constringi, & sphincteris resistantiam superare posse, videtur vero simillimum. Hinc etiam si observationes §. 2. & 3. citatas rite examinemus; inveniemus §. 2. symptomaticum, §. 3. idiopathicum pharyngis spasium: hic sola palii infixi sensatione, & difficili deglutitione se exseruit, absque spirationis molestia; ille vero præter deglutiendi summum impedimentum, linguæ impotentiam, & insignem spirationis difficultatem habuit comites. Nec quoque mirum: constricto enim penitus œsophagæo nihil gulam ingredi potest; & convulsis linguæ laryngisque musculis, cum sermo impeditus, tum spiratio fuit vitiata. Hinc ergo suffocationis motus gulæque constrictio ad symptomaticum pharyngis spasium referantur, necesse est.

## §. XIII.

Sic explicatis indole, signis, symptomatibus ac differentia spasmodorum pharyngis, ad eorundem causas provolvimur. Has inter proxima, quæ ipsum morbum constituit, satis exposita videtur: quare ad remotiores five occasionales progredientes, harum efficacissimamprehendemus in animi commotionibus sitam esse: pauca enim sunt, quæ facultates omnes corporis nostri dejicere æque valeant, atque immensi animi motus, in-

C

quit



quit MERCVRIALIS *Consult. Med. Tom. I. consult. 99. pag. 129.* Maxime omnium huc facit insignis excandescencia, cujus ea potissimum est indoles, ut constringendi efficacia in corpus nostrum sæviat. Hujus exemplum vide in *Excell. PRÆS. Med. Consult. Tom. I. dec. V. casu IV.* Ad hunc causarum ordinem referendum quoque est fastidium, licet hoc pharyngis spasmus atque difficilem deglutitionem magis transitoriam producere observetur. Deprehendimus enim quotidiana fere experientia; quod si jam masticatus ac in ore præparatus sit bolus, & accedat alicujus rei nimium fastidium, nos vel plane non vel insigni saltem impedimento bolum huncce deglutire valeamus. Admirandum sane mentis cum corpore commercium; cujus licet intimiorem rationem ac indolem cognoscere haud liceat; id tamen nobis erit satis, quod observemus, hos animi motus, qui in fastidio occurrunt, sequi potissimum gulæ ac faucium constrictionem.

#### §. XIV.

Non minus pharyngem ad graves constrictiones, quin & inflammationes proritare valent assumpta quæcunque acria, non solum alimenta, verum etiam medicamenta, maxime purgantia ac emetica drastica; quæ si non inducunt, insigniter saltem exasperant hocce malum, uti ex allegato in *Med. Consult. casu* videre licet. HOECHSTETTERVS *obs. dec. 3.* mentionem facit adstrictionis gulæ ex potu vini Malvatici, in quo radix consolidæ majoris infusa fuit. Quo vero tenerius fuerit corpus, quoque sensibilior constitutio, eo facilius acria hæc effectus suos edere apta sunt. Eo magis hoc continget, si assumpta fuerint caustica, ut adeo non mirum,



rum, quod juxta FORESTVM *Lib. XV. obs. 30.* puer quidam ex aquæ fortis haustu insignem pharyngis occlusionem cum ipso suffocationis motu incurrerit. Maxime omnium talem tyrannidem exercent quædam venenorum, & præcipue mercurius sublimatus, faucium constrictione sui ingurgitationem semper indicans, cujus quoque casum vid. *apud. FORESTVM loc. cit. schol. pag. 450.* Huc fere pertinere videtur casus a MERCVRIALI *consult. med. Tom. I. consult. CXI. pag. 144.* recensitus de Imperatore Maximiliano II. ex veneno assumpto palpitatione cordis, & deglutiendi difficultate, aliisque symptomatibus diu sollicitato.

## §. XV.

Deinde vero præsens malum sæpenumeto a viscido mucos faucibus in hærente, aut cruore in illis stagnante natales suos mutuatur: hinc quoque explicandum erit, quod in casu §. 2. allegato & linguæ impotentia & pharyngis adstrictio post ore redditum copiosum ac viscidum mucum evanuerint. Eadem est ratio, cur hypochondriacis viris admodum familiaris sit pharyngis distentio cum strangulationis metu sociata. Dum enim inferiorum partium spasmodicis constrictionibus, humores magis ad superiora compulsæ, ibidem stagnant: non solum fauces ad violentas convulsiones proritant; verum etiam in cerebro atque ad nervorum principium subsistentes, apoplecticos ejusmodi insultus procreare valent: quos *Excell. PRÆSES Med. Consult. Tom. VIII. Dec. IV. Cas. V.* non immerito apoplexiæ hypochondriaco spasmodicæ nomine insignit. Neque enim ignorari oportet, sanguinem circa nervorum origines ac principium stagnantem, aut serum acre ibidem hærens non



semper paralyticos affectus inducere, sed haud raro in convulsivas nervosi generis agitationes terminari: id quod WILLISII observatione aliquantulum confirmatur, qua ille *Lib. de morbis convulsivis Cap. X. pag. 165.* se in muliere hysterica suffocatione defuncta principium nervorum sero acri madidum invenisse memoriae prodidit. Idem vero constrictionis gulæ fundamentum est, quæ colicis virorum convulsivis accedere solet; qualem casum de colica gravem cephalalgiam ac maniam cum cœcitate & impedita deglutitione inducente refert HOEFERVS *in Hercule medico pag. 185.* Quis enim non videt, hisce omnibus spasmodicam faucium adstrictionem subesse? Qui rite meditatur morbos istos, eorumque symptomata, nostris haud opus habebit demonstrationibus.

#### §. XVI.

Clarissimum spasmi pharyngis symptomatici exemplum habemus in suffocatione ista hysterica vel uterina, quæ & viris hypochondriacis & sæminis hystericis familiaris, in his die rechte Mutter-Beschwerung, in illis der Männer rechte colique vocatur. In hoc etenim malo præter alia symptomata & summam spirationis angustiam percipitur colli ac faucium insignis coarctatio, & constrictionis quidam sensus non secus ac si laqueo injecto fauces præcluderentur. *Conf. ETTMULLERVS Collegii pract, Sect. III. Cap. III. pag. 963. seqq. & HELMONTIVS tr. de asthmate & tussi §. 31.* Non minus ipsæ epilepticæ ac convulsivæ accessiones hoc secum vehunt symptoma, ut vel difficillima vel plane nulla esse soleat deglutitio; quemadmodum præcipue in incubo observare licet, ubi præter strangulationis sensum, linguæ impotentia ac deglu-



glutitionis impedimentum adfunt. Idem quoque vitium opisthotono familiare est: sicuti ex casibus de hisce morbis a FORESTO *Lib. X. obs. 112. & 113.* recensitis colligi potest. Ex vermibus vero stupendæ convulsio- nis ac contractionis faucium exemplum recenset THO- NERVS *Lib. 2. obs. pag. 94.* Et denique quæcunque caus- fa ad laryngis constrictionem disponere valet; ea quo- que sæpissime pharyngis spasmodum inducere observatur. Neque tamen silentio prætermittendæ sunt febres acutæ malignæque; quæ haud raro faucium adstrictionem, difficilemque deglutitionem molestos habent comites: uti quoque sæpenumero in vulneribus accidit.

## §. XVII.

Hæc de causis spasmodorum pharyngis dicta suffici- ant; transeamus ad tradendam prognosin. Haud sane insuper habendi idiopathici pharyngis spasmi, quippe qui non solum chronicam indolem, fixamque sedem, accedente maxime perversa medicatione obtinere solent; verum etiam perversum motum facillimè universo ge- neri nervorum communicare observantur; sicuti ex ca- su in *Med. Conf. Tom. I. pag. 232.* clarius adparet. Vnde sane qui sæpius in hunc morbum recidunt, habent cur suæ valetudini metuant. Præcipue vero ii, quos acria ac caustica assumta produxerunt, spasmi periculo non vacant, & inflammationem haud raro habent comitem. Qui in hypochondriacis atque hysteriis cum suffoca- tione sæpius eveniunt, metum veræ omnino incutiunt apoplexiæ. In vulneribus si accidat ex convulsione læ- sa deglutitio, malum, *teste ETTMULLERO Coll. Pract. part. I. pag. 57.* Neque minus periculum minatur fau-



cium constrictio acutis malignisque superveniens febris; & HIPPOCRATES *aph. 35. sect. 4. si febre, inquit, detento repente collum intorquetur, ut vix deglutire queat, nullo existente tumore lethale est*; quem aphorismum male quidem de angina interpretari volunt, cum juxta ET TMVLLERVM *Coll. pract. Part. 1. pag. 802. ad emprosthotonum sit referendus. Ceterum spasmodicorum pharyngis symptomaticorum periculum pro primarii morbi magnitudine erit dijudicandum.*

§. XVIII.

Sed denique curationem molesti hujus morbi ag-  
gressurus, & quidem idiopathici; eo omnes nervos  
intendere debet, ut constrictiorem eam sopiat, mo-  
tus perverfos a superioribus derivet, ac omnes mate-  
riales causas removeat. Quod si enim primæ viæ  
fordibus impuris, acris, acidis aut viscidis imbutæ  
fuerint, quæ reliquæ curationi eximiam injicere va-  
lent remoram: iis ante omnia leviter expurgandis o-  
peram navare oportet. Huic scopo minime omni-  
um quadrant vehementiora purgantia, quippe quæ ma-  
lum longe pertinacius reddere observantur. Vid. *Med.  
Conf. Tom. I. p. 233.* Magis e re erunt leviora rhabbari-  
na, aut mannata; uti potiuncula mannata & gratissi-  
mi saporis & præstantissimi effectus; quarum varias  
compositiones in *Excell. Dn. PRÆSIDIS Medicina consulta-  
toria* passim invenies. Nec minus operæ erit pretium  
clysteres injicere, maxime si flatulentæ distensiones ac  
murmura intestinorum canalem occupant. Quando-  
cunque humorum vitalium insignis urget copia, quæ  
malis hisce adaugendis efficacissima est: ipsa erit ven-  
tilanda



tilanda per congruas venæ sectiones, melius extra morbi accessionem instituendas. Fugienda vero cane pejus & angue sunt omnia & alimenta & medicamina calidiora ac acriora, quæ non minus humores commovere, quam ipsas constrictiones exasperare solent.

## §. XIX.

Ipsam vero faucium distentionem confopendi præstantissimam vim possident & internæ antispasmodicæ ac anodynæ medicinæ, & externa parçgorica. Ad censum earum pertinent pulveres antispasmodici cinnabarini, & instar omnium *Excell.* PRÆSIDIS liquor anodynus mineralis aut solus, aut cum essentia castorei, aut cum quibusdam olei chamomillæ veri, absinthii & de cedro italici guttis maritatus. Nec luderur opera, si sperma ceti cum oleo amygdalarum dulcium vel olivarum mixtum exhibeatur; cui quoque usui convenientissimæ sunt pilulæ antispasmodicæ vesperi quandoque capiendæ; quarum in sæpius citata *Med. Conf. Tom. I. pag. 234.* hæc existat compositio: Recipe extracti millefolii, chamomillæ ana drachmas duas, extracti hyperici, mithridatii ana drachmam femis, croci, castorei pulverisatorum ana grana XV, olei destillati macis guttas VI, M. F. pilulæ, quarum XX uno haustu deglutuntur. Inter externa adminicula summam laudem meretur *Excell.* PRÆSIDIS balsamus vitæ, linteo infusus, & externæ faucium regioni adplicatus; nec contemnendum usum exhibebit theriaca aliquot granis ore detenta, ac iterum reddita. Quibus denique si pediluvia ex aqua fluviatili, fursuribus triticeis, & floribus chamomillæ parata accesserint, quorum in derivan-



vandis superiorum partium motibus egregia est efficacia: non dubium est, quin de diro molestoque hoc morbo triumphum simus deportaturi.

## §. XX.

Prius vero, quam ad alia transeamus, haud alienum erit camphoræ virtutem antispasmodicam binis tantum attingere verbis; quam præcipue demonstrat casus in *Medicin. Consult. Tom. VIII. aec. IV. Cas. V.* allegatus, lectu dignissimus. Admirandus est illius effectus, quem in dicto casu ad duos per errorem scrupulos assumptus præstitit; omnes enim faucium pectorisque constrictiones, nullis fere medicinis anodynis debellandas, protinus expugnavit. Hinc nec operam ludi arbitramur, si in pertinaci pharyngis constrictione, duobus duntaxat granis inter alia medicamina exhibeatur. Neque enim tantam humorum commotionem inferet, quanta ipsi vulgo adscribi solet. *Conf. Excell. PRÆS. disp. de usu camphoræ interno & securissimo. & præstantissimo.* Eo magis erit necessarium, internis æque, si possibile est, ac externis paregoricis antispasmodicis, anodynisque medicaminibus illi faucium constrictioni succurrere, quæ sub levioris apoplexiæ specie cum adnexarum partium rigida distensione occurrit. In his quoque accessionibus, si rubor faciei, vasorum inflationes ac graves magnæque pulsationes cruoris significant abundantiam, haud abs re erit venam in pedibus tundere, & satis largam cruoris copiam emittere. Præstantissimam quoque ac præsentissimam opem spondent clysteres injecti; quemadmodum pluribus in allegato proxime casu videre licet.

## §. XXI.



## §. XXI.

Quæ ab assumtis acerbis, causticis, venenis originem traxit, pharyngis distentio, ea in genere expofcit remedia, quæ assumptorum virus atque acrimoniam enervant, obtunduntque. Huic scopo fatisfaciunt juscula pinguia, oleofa, oleum amygdalarum dulcium, olivarum, ipsum lac ac alia mucilaginoſa; nec minus quorundam venenorum vim infringere deprehenduntur acida, ut oxymel squilliticum &c. Sic HOECHSTETTERVS faucium adstrictionem ex vino Malvatico radice consolidæ permixto enatam acidis debellavit, eandemque ab aqua forti procreatam FORESTVS mucagine cotoneorum in potu data feliciffime fanavit. Quodocunque vero præternaturale assumptum adhuc in ventriculi & intestinorum cavitate refidet; & ab his partibus motus ſpafmodicus ad fauces adſpiravit; tunc emeticum medicamen propinare conveniet. In paroxyſmis hystericarum ac hypochondriacorum ſuffocativis præter clysmatum adplicationem, e re erit vel graveolentia, vel excitantia volatilia, oleofa, caſtorina naribus admovere. Vbi autem ignorari non oportet, aſam fœtidam, cujus frequentiffimus ſolet eſſe uſus, haud adeo tuto eſſe adhibendum; quippè quæ generi nervoſo majorem inducere valet debilitatem: hujus in locum magis conveniet odor corii oleo betulæ uncti (*Zuchten Leder*) uti præclare monuit *Excell. PRÆSES Med. Conſult. Tom. X. dec. V. caſu VIII. pag. 307.*

D

§. XXII.



## §. XXII.

Quemadmodum ceterum in omnium symptomatum curatione primarium morbum respicere oportet: ita quoque cum spasms pharyngis aliis morbis junctis res se habet. Quodcumque enim sub epilepticis, convulsivis accessionibus, incubo, emprosthotono, opisthotono &c. contingunt: eorum morborum expugnatio spasmos quoque faucium tollet. Neque minus si vermium colluvies, aut alia primarum viarum faburra huic symptomati originem dederit; eorum expulsionem per anthelmintica & evacuantia opera danda est. Quæ denique febribus acutis supervenit faucium adstrictio; præter regimen congruum medicinis antispasmodicis ac antepilepticis sublevanda erit; quo spectant pulvis marchionis, nitrum cum camphora mixtum, tinctura bezoardica Michaelis cum mixtura simplici maritata &c. Opiata enim ac crassiora adstringentia his opponere velle, nihil esset, quam oleum cammino affundere.

## §. XXIII.

Quod si demum spasmodorum pharyngis idiopathicorum, qui sæpius recurrunt, ac generis nervosi imbecillitate nituntur, præsertionem intueamur; omnis hujus vis in recta vivendi ratione collocanda erit. Hunc in finem omnis frigidus aer, nervis admodum inimicus fugiatur; cibi potusque calidiores, acriores, concoctu difficiliores, chylum viscidum generantes omnino vitandi sunt; maxime animi graviora pathemata, excandescentiæ &c. omni studio abolere  
conve-



convenit, quippe quibus in excitandis spasmodicis commotionibus nihil unquam efficacius deprehenditur. Si quæ forte cruditates ventriculum obsederint, leniter evacuentur; & humorum nimio incremento tempestivis sanguinis missionibus obex ponatur. Ceterum omnium rerum non naturalium usus ita instituat, ne quid œconomia vitalis inde capiat detrimenti.

F I N I S.

ERRATA.

Pag. 16. lin. penultima Oesophago, Oesophageo.



D :

NOBI.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

PRÆSES.

**C**um jam in eo sis, clarissime Dne. CANDIDATE, ut absolutis atque cum laude pertractatis studiis Academicis, presentem admodum eruditam de spasmodicis pharyngis dissertationem publice meo sub presidio pro Doctorali Gradu defendere in TE susceperis; non potui, quin brevi & meritissimo industrie TVÆ testimonio TE comitarer. Annus est, & quod excurrit, cum ex Moscovia, ubi per sex annos prospero cum successu Chirurgiam exercuisti, advena, collegiis quæ tunc temporis provecioribus prælegebam, casuali atque de simplicium in medicina usu, socium TE adjungeres; mihiq; privatim aperires, TVI quis scopus sit adventus; quod scilicet ingenium TVVM ante plures jam annos in celeberrima Lipsiensium Academia ad Medicinam haud leviter aptatum, in Fredericiana nostra me potissimum duce ulterius excollere atque tam in theoriæ quam praxeos fundamentis



tis perpolire animum induxeris. Cui quidem scopo feliciter obtinendo, ut privatissimis lectionibus institutiones universæ cultioris Medicinæ TIBI traderem, summopere a me rogasti. Equidem vero tam ob ingravescentis ætatis molestiam quam plurimorum privatorum atque publicorum negotiorum copiam, licet tunc temporis ægre in me susceperim hunc laborem, tamen summo, quem cum aliis, qui idem a me rogabant, crebrius ostendebas, discendi ardore atque desiderio commotus, quo minus honestæ TVÆ petitioni morem gererem, non potui a me impetrare. Neque sane susceptæ atque ante aliquot hebdomades feliciter per Dei gratiam absoluta, me piget hujus operæ; cum tot egregios in discipulis meis viderim fructus; ut & theoria & praxeos rationalis fundamenta, quæ aliis difficillima videntur, facili admodum negotio perspicere atque ad usum applicare didicerint; id quod examinibus, quæ explicationibus meis sæpius adjungere consuevi, satis etiam TV, clariss. Candidate, in singularem mei pectoris latitiam probatum reddidisti: Ex quo sane felicissimi TVI ingenii, atque singularis industriæ haud obscuras habui notas. Neque vero hæc satis TIBI esse existimasti, sed ut in omnibus, quæ ad Medicum eruditum requiruntur, scientiæ generibus TE exerceres, non solum anatomicis demonstrationibus frequen-



quenter interfuisti, sed & ipse in dissecandis atque  
penitus perscrutandis cadaueribus diligentissimum  
TE exhibuisti. Præterea vero & chymiam & pra-  
cticas regulas publice mihi explicanti, & aliorum  
celeberrimorum hujus Academia Professorum lectioni-  
bus theoreticis ac practicis cum usu ac fructu satis  
laudabili TE adjunxisti. Unde & factum est, ut in  
duobus quæ ad Candidatorum artis nostræ profectus  
explorandos suscipere nobis mos est, examinibus, in  
omnibus quæ modo a TE cunq̃ue desiderari potue-  
runt, versatissimum TE exhibueris. Quæ igitur  
cum ita sint, non desunt sane argumenta encomio-  
rum, quæ TIBI ab omnibus cumulatissime debentur.  
Satis vero sit dixisse: optare nos, ut plures  
TVÆ diligentia relinquant imitatores. TV vero  
divina fultus gratia, quo cœpisti, indefessus perge  
tramite, & TVÆ scientiæ fructibus ut multi cum  
latitia fruantur agrotantes, cura diligenter.  
Vale Dab. Hal. d. VIII. Id. Augusti  
MDCCLXXXIII.

Quæ



**Q**uæ TE, MARGGRAFFI ! per tot discrimina rerum,  
Per varias terras divina potentia duxit,  
Quæ TE jam saluum cathedram conscendere iussit;  
Hæc quoque conatus felices esse futuros  
Faxit, & ad faustos jubeat TIBI cedere fines.

*Hiscæ dignissimo Doctorando Amico suo perexi-  
mo adplaudit*

S. SCHAARSHMIDT,

M. L.

**C**ur mea, MARGGRAFFI, festis se misceat audax  
Musa TVIS; & quid carmina recta velint?  
Scrutentur scioli! TIBI cognita nomina, cœpti  
Nec TE causa fugit, nec peregrina manus.  
Haud equidem patriæ jubeat hæc communitio terræ  
Gaudia, nec stirpis fœdera sancta movent:  
Marchia TE primum vidit, mihi Dania nutrix:  
Dissita sic olim nos genuere loca.  
Ast eadem nobis fuerint quod fata, laborque  
Pectora nostra unus junxerit atque scopus;  
Quamque velut patriam colui venerorque secundam,  
Rassia TE gremio fovit alma suo;  
Hinc in Apollineis mihi quod pulcherrima castris  
Contigerit mentis noscere dona TVÆ;  
Hoc jubet ex tenero pia promere pectore vota  
Atque TVÆ, Fautor, carmina ferre togæ.  
Plurima sed paucis voveam: sine limine crescat  
Sors TVA, cumque bona sorte perennet amor.

*Nobilissimo DN. DOCTORANDO pauca hæc sin-  
cero animo gratulabundus offert*

P. C.

H. D. M. C.



**D**Um TVA Phoebeis cinguntur tempora lauris,  
Et TIBI sacratas pandit Hygea fores,  
Pristina, MARGGRAFFI, pia carmina tempora po-  
scunt;

Musa sed hæc meritis scribere digna vetat:  
Nam majora TVÆ prostant encomia mentis,  
Quam potis est tenuis tradere nostra, TIBI.  
Ipseque scripturo gravior mihi Cynthus aurem  
Vellit, & admonuit linquere jura sua:  
Nam mihi discipulos fas est ornare, piisque  
Munera, contendit, digna parare meis;  
Nec sua MARGGRAFFIO, fidum per lustra sodalem  
Quem novi, lubens præmia ferre nego.  
Quid facerem? monitis Domini subjungere mentem  
Cogor; at ingenuas non negat ille preces.  
Fundere vota licet! fundam, mentemque vovendo  
Monstrabo, hocce die, quam reticere nefas.  
Vade igitur felix! peregrinis hospes aboris  
In patriam sospes, incolumisque redi!  
Suscipe virtutis fructus, atque inter honorum  
Augmenta haud pigeat TE meminisse

TVI

*Observantissimi*

N. M. A. P.  
*Ph. & Th. St.*















DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
SPASMIS  
PHARYNGIS

15

QUAM  
CONSENSU  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI  
PRÆSIDE  
DN. FRIDERICO HOFFMANNO  
ACADEMIÆ SENIORE ET FACULT. MED.  
h. t. DECANO.  
PRO DOCTORIS GRADU  
PUBLICE ERUDITORVM DISQUISITIONE  
SUBMITTIT  
D. Augusti Anni MDCCXXXIII,  
AVCTOR  
ANDREAS GOTTLIEB MARGGRAFF,  
BEROLINENSIS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.